Quandoquidem Reverendissimus noster Princeps meus
Clementissimus, jam per Imperiale Decretum et aucto-
ritatem Confirmationem tutelae obtinuit, & nunc
deinceps omnia quae ad pupillae suae emolumentum
spectant fideliter peragere debet, ego suasi ipsius
Celsitudini, primo quoque die (et quanto temporis
fieri possit) inventarium conficiendum, omnia dili-
genter in eodem notanda et consignanda etc.
In Inventarii n. confectione primam et praecipuam
curam positam esse, ne praecipue mobilia ipsius pupillae
bona detrimenti aliquid capiant ex negligentia, aut
forte ante Inventarii confectionem malitiose distrahantur.
Deinde ipsam pupillam in timore Domini, pietate, honestis
moribus educandam, fidelibus praeceptoribus in disciplinam
tradendam, apud honestos, pios etc. educandam,
alimenta praestanda, & alia generalia, quae ad
tutoris officium pertinent. Eaque hanc ob causam
eo fidelius efficienda esse, quod ipsius
Celsitudo super hac tutela juravit, item quod
tutela summa gravitate, fide, et cura administranda
sit: tutelae n. actionem bonae fidei esse.
Postremo rationem tutelae exactissimam
esse reddendam, ut finita tutela, ut
~~[illegible]~~ quandocunque id pupillae proficuum
fuerit: et quod omnium sit gravissima
et contumeliosissima actionem tutelae directam
infamiam secum trahere.

Si in pter illa gratia qd habeas, cuius
ipsius Consilio admoneri debeat, peto ut id
latorem presentium ad me perscribi facias,
Si qd et mihi prodesse poteris apud Gratiosam
Comitissam forte commendando, ut ut et mihi
aliqd oneris in tali administratione imponat
suadendo, id ut mihi fideliter cures, iterum rogo.

quod tamen portare queam

Quod vestro Johanni à Collen promisi, id nondum
expedire potui, qa oportunitas illius negotij
tractandi oblata haud fuit, expectanda
igr occasio est. Id quod ei verbis meis
significari velim. His te, tuam familiam,
nostros oes divinae clientelae commendo;
salutat ac oia pia tua et mea mater,
ambae aetatis provectae. Martino nro
nunc scripsi, qd respondeat expecto.
A te prius, ad oia mihi respondere,
maxime qd ad id et quod ad te, meam
personam concernens, delatum est, percupio.
Datae in Castro Furstenau 19 Octob.
Ao 87

T. Arnoldus Langeman
Secret:

Spectato Consultoque viro Dno
Anthonio Holmanno Waldeccensi
Consiliario & Secretario amicitino
suo charissimo, ad manus
proprias